

set, respondet alibi Augustinus, licet Deus odio habuerit Esau antequam quidquam mali egisset, non vero antequam quidquam mali contraxisset, et ita in eo odisse originalem culpam quam ipse non fecit, et propter illam negasse illi peculiarem illam misericordiam, quam Jacob gratis fecit. Instare autem quis potest, quia etiam de Angelis, Lucifero et Michaeli, verbi gratia, dici potest: Antequam quidquam boni aut mali egissent, Michaeli dilexit, et Luciferum odio habuit; et non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori. Et tamen in Angelis nulla originalis culpa præcessit, unde in illis non solum vere dicitur: Antequam quidquam mali egissent, sed etiam antequam quidquam mali contraxissent. Respondeo (ut iterum jam dixi) me non probare nunc nec defendere omnia verba et singulas solutiones seu responsiones Augustini, sed tantum mentem ejus explicare; fortasse enim illa responsio non est necessaria, et probabile satis est, etiam ante prævisum originale peccatum Deum elegisse Jacob, et non Esau, ut in alio opusculo ostendimus; et quod Scriptura alibi dixit, Deum nihil quod fecit odisse, intelligitur de proprio odio; cum vero Paulus dicit Deum odio habuisse Esau, latius sumit odium pro negatione dilectionis eximie seu singularis; et hoc modo nulla est necessaria culpa ut Deus personam odio habeat, id est, non diligat eo modo quo aliam æqualem, vel etiam minorem diligit. Quamquam autem responsio Augustini non sit necessaria, est satis pia et probabilis; deservireque potest ad explicandum cur illa negatio amoris odium vocetur; habet enim specialem rationem odii, si non solum negatus sit ille amor, quia non debitus, sed etiam in vindictam alicujus culpæ. In tota vero illa parte illius quæstionis nihil aliud invenio aut explicatione indigens, aut ad nostram causam conducens, præter illa verba: *Hæc demonstratio potentie Dei, et annuntiatio nominis ejus in universa terra, prodest eis, ut timeant, ut vias suas corrigant, quibus vocatio talis congruit.* Nam ex hoc ultimo verbo constat hic redire ad superiorem doctrinam de vocatione congrua, et in ordine ad illam explicare omnia quæ per exteriora signa vel opera Deus facit vel permittit, etiam circa reprobos, ut deserviant saluti electorum; non ergo tradit Augustinus doctrinam illam de vocatione congrua ex aliena sententia, sed ex maxime propria.

Tandem vero post collationem alterius testimonii, Ecclesiastici 33, eum loco Pauli (in quo nihil nobis ad causam nostram notandum occurrit), in fine quæstionis, ab illis verbis: *Nulla igitur intentio tenetur Apostoli, etc.*, epilogum facit, et summam doctrinam datam colligit, iterumque ad vocationem congruam redit, et in ea maximam vim hujus negotii ad gratiam et prædestinationem pertinentis ponit: *Præcipitur (ait inter alia) ut credamus, ut dono accepto Spiritus Sancti, per dilectionem operari possimus: sed quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est aliqua rerum testificatione tangatur?* Notetur explicatio vocationis quam non ponit Augustinus, nisi in aliquo tactu cordis per aliquam actionem vitalem intellectus vel voluntatis. Et quia ad certitudinem conversionis et prædestinationis non satis est vocatio, nisi ut congrua, subjungit: *Quis habet in potestate tali viso tangi, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? utique cum effectu et infallibiliter: Quis (inquit) animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate ut vel occurrat quod eum delectare possit, vel ut delectet cum occurrit? Cum ergo nos ea delectent quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc et præbetur gratia Dei, etc.* In quibus et similibus verbis semper illud attente considerandum est apud Augustinum, totum hoc negotium prævenientis gratiæ positum esse in excitationibus intellectus et voluntatis per proprios actus harum potentiarum, quibus homo paulatim illuminatur vel afficitur, ut tandem consentiat. Unde inferius concludit: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quandoquidem nec velle, nec currere, nisi eo movente atque excitante poterimus.* Et in sequentibus addit mysterium electionis divinæ in modo hujus vocationis manifestare, quod tandem in fine exemplo Pauli declarat, non quia ejus voluntas physice fuit ad fidem volendam determinata, sed quia *una desuper voce prostratus, et occurrente tali viso, quomens illa et voluntas refracta sævitia corrigeretur ad fidem, tractus est.* Semper ergo persistit Augustinus in doctrina de vocatione congrua, et in illa ponit gratiæ prævenientis efficacitatem, etiam in mirabili et efficacissima conversione, qualis illa Pauli fuit. Ergo ex discursu illius integræ quæstionis plane sententia nostra confirmatur, et contraria ab Augustini sententia prorsus aliena conspicitur.

## CAPUT XXXVII.

CONFERUNTUR CÆTERA AC PRÆCIPUA AUGUSTINI TESTIMONIA EX VARIIS EJUS OPERIBUS IN FAVOREM UTRISQUE SENTENTIÆ DESUMPTA.

Quamvis ex dictis in superioribus capitibus possit satis de Augustini mente constare, ne tamen videamur alia ejus opera præmittere, et subterfugere nonnullas locutiones quæ ab aliis auctoribus maxime ponderantur, et quia per omnia Augustini opuscula de hac materia sigillatim et integre discurrere nimis prolixum esset et operosum legentibus, ideo universa quæ alicujus momenti videntur, hoc capite comprehendemus. Ut autem ad aliquod certum principium revocemus omnia, sciendum est varia esse capita ex quibus credi potest motionem Dei præviam et physice prædeterminantem voluntatem humanam, esse necessariam ad actiones ejus. Unum caput est necessitas divini influxus ut primæ causæ ad actiones causarum secundarum, etiam liberarum. Aliud est necessitas gratiæ ad bene operandum, præsertim ad inchoanda opera gratiæ, seu ad initium salutis. Tertium est necessitas gratiæ efficacis ad exequendam infallibiliter divinam prædestinationem seu electionem, sub qua includitur, tum gratia efficax ad primam conversionem per quam homo justificatur, tum etiam gratia efficax ad perseverandum in justitia.

*Locis hic citatis cooperantem tantum concursum requirit Augustinus, non prædeterminantem motionem.* — De primo capite interdum quidem disputat Augustinus, ostendendo sine Deo cooperante, id est, per generalem concursum concurrente, nihil posse facere voluntatem humanam, sicut neque alias causas creatas, ut videre licet libro duodecimo de Civitate, capite vigesimo quinto, et libro decimo sexto, capite quinto, ubi Angelos vocat cooperatores Dei, etiam in his motibus externis quos naturali virtute exercent. Unde in priori loco sic de Deo inquit: *Nec operarios habet, nisi quos ipse creavit; et si potentiam suam fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erunt, sicut antequam fierent non fuerant;* et iterum ibidem: *Cujus occulta potentia cuncta penetrans incommutabili presentia facit esse quidquid aliquando est, et quantumcumque est, quia nisi faciente illo non tale esset, sed prorsus esse non posset.* Quibus locis coope-

rantem tantum concursum requirit, non prædeterminantem motionem. Addo insuper verisimile esse interdum contra Pelagium loqui de necessitate hujus generalis concursus, quia probabile est illum etiam negasse Pelagium, ut plane significat divus Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem, ubi hac ratione dicit Pelagium fecisse quodammodo liberum arbitrium æquale Deo, id est, independens ab alio in operando, et in suo regimine, quia seipsum regit sine alterius operis auxilio concurrente. Idemque repetit dialogo primo contra Pelagianos. Cum ergo Augustinus omnes errores Pelagii expugnaverit, credibile est hunc non omisisse, etiam in disputationibus contra Pelagium. Nam in libro de Gratia Christi, capite quarto, refert Pelagium solam possibilitatem bene operandi, quæ est in facultate libera voluntatis, Deo attribuisse, voluntatem autem bonam ipsi homini, scilicet quoad actum secundum. Et quamvis diceret Deum adjuvare hominem suæ gratiæ auxilio, per hoc auxilium solum intelligebat legem et doctrinam, quam dicebat juvare possibilitatem, non ipsum velle. Nam ad hoc ita putabat sufficere voluntatem, ut nullo indigeat Dei auxilio; significat ergo Pelagium omnem cooperationem Dei negasse. Atque ita impugnat errorem illum Augustinus in toto illo libro, afferens varia testimonia Scripturæ, quorum multa possunt de generali Dei influenza intelligi, ratione cujus dicitur Deus operari omnia opera nostra, Isai. 26; sicut dicitur operari omnia in omnibus, 1 Cor. 10. Quæ non satis exponuntur quod hæc tribuantur Deo solum quia dedit virtutem operandi, tum quia, ut notavit idem Augustinus, epistola centesima quadragesima sexta, quæstione secunda, Scriptura non tantum dicit Deum operatum esse, sed usque modo operari, Joanne quinto, utique *cuncta quæ fiunt;* ut Matth. sexto dicitur vestire fenum agri; et Psalm. centesimo quadragesimo sexto dictum erat: *Qui producit in montibus fenum;* tum etiam quia, si propter solam possibilitatem bene volendi Deo tribueretur ipsum bonum velle, eadem ratione tribuendum esset Deo malum velle, quia dedit voluntatem per quam illud operamur, ut argumentatur idem Augustinus libr. de Gratia Christi, c. 17 et 25.

Verumtamen ex hoc ipso argumento nos convincimus, quoties Augustinus solum loquitur de adjutorio seu cooperatione divina necessaria ex vi solius generalis concursus, non tribuere Deo specialem præmotionem,

præsertim prædeterminantem arbitrium humanum, et, ob hanc specialem rationem, sibi attribuentem ipsum velle hominis, nam alias eundem modum motionis et prædeterminationis daret ad voluntates malas, ac proinde non minus deberet eas sibi tribuere quam bonas. Accedit quod, teste eodem Augustino, libr. septimo de Civitate, cap. trigesimo, sic Deus administrat omnia quæ creavit, ut non ipsa proprios exercerent motus sine Deo. Per generalem ergo concursum non extrahit Deus liberum arbitrium a sua naturali indifferentia in actu primo, sed solum illi cooperatur in actu secundo. Denique concursus hic generalis ad naturalia dona pertinet, et ideo quoties Augustinus loquitur de dono gratiæ, propter quod Deo specialiter tribuuntur opera pietatis humana, non agit de hoc concursu, sed de alia superiori motione. *Quamvis enim* (ut ipsemet dixit 16 de Civit., c. 26 *et naturalem procreationis concursum Deus operetur, ubi tamen evidens Dei opus est, vitiosa et cessante natura, ibi evidentiùs intelligitur gratia.* Cum ergo Augustinus agit de singulari gratiæ efficacia, non agit de communi influenza Dei necessaria cum proportione omnibus causis secundis ad actiones suas. Et quamvis verum sit etiam ad actiones supernaturales esse necessariam generalem influentiam sui ordinis, ac perinde supernaturalem, et ratione illius posse Deo tribui voluntatem hominis bonam, et speciali titulo, quando supernaturalis est, nihilominus si communi ratio generalis concursus debiti cum libero arbitrio non postulat motionem physicam prædeterminantem, neque de concursu naturali id probari potest ex sententia Augustini, profecto nec de supernaturali id probabiliter dici aut ostendi potest; tum quia licet non sit debitus voluntati secundum se, est tamen debitus voluntati jam elevatæ per habitum vel per auxilium præveniens; tum etiam quia est eadem ratio de illo et de naturali, quia etiam causa secunda supernaturalis est subordinata primæ, et debet habere paratum concursum ejus, et, ut libera sit, debet illum habere aliquo modo in potestate sua. Denique quoad hanc partem nunquam Augustinus aliter de operibus gratiæ quam de operibus naturæ liberis locutus est.

Quæ dici poterant de secundo capite, tractata sunt fere omnia in capite præcedenti. Nam quod attinet ad necessitatem gratiæ ad bene operandum, si intelligatur de operibus pietatis, seu per se conducentibus ad vitam

æternam, certum est, contra Pelagium, necessariam esse gratiam per modum principii quod voluntatem excitet, detque illi potestatem agendi, eamque actu adjuvet ut velit bonum. Neque ex vi hujus necessitatis gratiæ contra Pelagium aliud genus prædeterminantis gratiæ significavit unquam Augustinus; imo, in libro de Gratia Christi, capite quadragesimo sexto, ita contra Pelagium concludit: *Si consenserit nobis Pelagius, non solum possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, neque agat bene, sed ipsam quoque voluntatem et actionem, id est, ut bene velimus et agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult et bene agit; si (ut dixi) consenserit etiam ipsam voluntatem et actionem divinitus adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus vel agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum, Christum Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra justitia justos facit, ut ea sit vera nostra justitia, quæ nobis ab illo est, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror inter nos controversiæ relinquatur.* Ergo ex hoc generali principio necessitatis gratiæ, non indicatur ab Augustino necessitas prædeterminationis, sed adjutorii, in quo adjutorio continetur et principium operandi et actualis operatio. Si autem sit sermo de necessitate gratiæ ad bona opera moralia ordinis naturæ, sic res est manifesta; tum quia gratia non est necessaria ad singula opera hujus ordinis, sed ad custodiendam totam legem naturæ longo tempore, sine gravi lapsu contra illam; tum etiam quia non potest requiri efficacior gratia ad hæc opera moralia quam ad supernaturalia. Neque ex doctrina Augustini aliquid afferri potest in quo aliud insinuaverit. Denique si sermo sit, non de ipso opere bono, sed de initio ejus seu salutis, jam late ostensum est in dicto capite duo esse in hoc negotio distinguenda: unum est, quod et quale sit initium salutis vel fidei; aliud est, quomodo ex tali initio sequatur ipsa fides vel salutaris pœnitentia aut conversio. Nam de primo fuit Augustino concertatio cum Semipelagianis, et contra illos concludit, *gratiam Dei nihil meriti præcedere humani*; sed si quid est in nobis meriti, id fieri, *comitante, non sequente, pedissequa, non prævia voluntate, quantumcumque enim cogitavero merita mea, misericordia ejus præveniet me.* De secundo vero nihil Augustinus disseruit, scilicet, an ex initio gratiæ, quod fit per inspirationem et illuminationem divinam, sequantur bona opera per physicam prædeterminationem,

vel per alium modum cooperationis, quia neque hoc per se spectabat ad illam controversiam, ut ex dictis satis constat, neque etiam per necessariam vel probabilem consequentiam inferitur prædeterminatio physica, ex eo quod initium bene operandi sit ex Deo per prævenientem gratiam. Neque ullum vestigium talis illationis apud Augustinum invenire potui, quamvis magna diligentia et attentione quidquid de hac materia scripsit sæpius perlegerim.

In tertio capite plus aliquid difficultatis esse potest. Quia est per se notum in doctrina Augustini, quod posuerit Deum sola voluntate sua certum hominum numerum ad regnum cœlorum elegisse ac prædestinasse. Ex quo principio intulit Deum talem tamque efficacem gratiam dare prædestinatis, ut infallibiliter credant, pœnitentiam agant, seu ad Deum toto corde convertantur, illique usque ad vitæ finem inhæreant. Ex hoc ergo principio inferre possunt auctores contrariæ sententiæ, posuisse Augustinum hanc specialem efficacitatem gratiæ prædestinatorum in prædeterminatione physica voluntatis eorum, præsertim ad eos actus quibus eorum prædestinatio implenda est. Primo, quia *prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur*, de Dono perseverant., capite decimo quarto; non possunt autem illa beneficia habere hanc certitudinem, nisi habeant illam efficaciam. Secundo, quia efficacitatem illius gratiæ ponit in omnipotentia voluntatis Dei; sic, libr. de Grat. et lib. arbitr., capite vigesimo: *Scriptura (inquit) divina, si diligenter inspiciatur, ostendit non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, et a se factas bonas in æternam dirigit vitam, ita esse in Dei potestate, ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari.* Et libr. de Correptione et grat., capite quinto, ait *posse Deum ad dolorem et salubrem pœnitentiam occultissima et potentissima medicina suæ potestate quemlibet perducere.* Et libro quinto contra Julianum, capite tertio, ait habere Deum potestatem adducendi et trahendi hominum voluntates. Epistola centesima septima, dicit Deum, quando vult, perditos homines ad seipsum convertere, ac volentes ex nolentibus facere. Tertio, quia aliis locis significat tale esse hoc auxilium, ut non possit voluntas humana ei resistere, ut de Correptione et gratia, capite decimo quarto: *Volenti saltem facere, nullum humanum resistit arbitrium; sic enim*

*velle et nolle in volentis est potestate, ut nec divinam impediatur voluntatem, nec superet potestatem.* Unde concludit dubitandum non esse voluntati Dei non posse humanas voluntates resistere, quominus faciat ipse quod vult, etiam de ipsis hominum voluntatibus. Eadem autem ratio est de voluntate et de auxilio illi voluntati proportionato; quia ut voluntati Dei non possit resisti, necesse est ut nec tali auxilio resisti possit. Et ideo illi tribuit Augustinus *omnipotentissimam potestatem humanorum cordium, qui placuerit inclinandum*, eodem c. 14 de Correptione et grat., ubi etiam addit *magis habere Deum in sua potestate voluntates hominum quam ipsi suas.* Et in libr. de Gratia Christi, c. 24, ait operari Deum in cordibus hominum, interna atque occulta, mirabili atque ineffabili potestate.

Quarto, quia sæpe ita revocat hunc effectum in divinam voluntatem, ut illi soli velit esse tribuendum, et nullo modo humanæ, ut videre licet libr. de Prædestinatione Sanctorum, capite octavo, ubi de duobus audientibus Evangelium, quorum alter credit, alter non credit, non vult admittere illam rationem, quia iste voluit et alter non; sed quia facit volentes ex nolentibus Deus, et ita illi crediderunt, quia Deus voluit ut crederent; quod si alios docere voluisset, proculdubio venirent et ipsi; significans totum esse in Dei voluntate determinante vel non determinante humanam. Unde l. 2 de Peccatorum merit. et remiss., c. 19, prius ait hominem indigere scientia et delectatione boni, ut illud velit; et deinde adjungit: *Nunc scit homo, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis, sed divini muneris esse, vel quod sciat, vel quod delectetur.* Deinde ob hanc causam quoties incidit in illam interrogationem, cur ex duobus audientibus verbum Dei, hic credat, ille non credat, licet interdum proximam rationem reddat ex voluntatibus eorum, quia iste vult, ille non vult, dum autem iterum interrogando urget cur iste ita vocetur ut credat, alius vero non ita, cur isti ita suadet ut persuadeatur, illi vero minime, et similia, nunquam iterum redit ad voluntates humanas, sed cum admiratione judiciorum Dei persistit in voluntate divina; sic epistol. quinquagesima quinta: *Cur credat (inquit) iste, ille non credat, cum ambo idem audiunt, et, si miraculum in conspectu eorum fiat, ambo idem vident, altitudo est divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei.* Et multa similia habet libr. de Correptione et gratia, a

capite quinto usque ad octavum, ubi tandem totum negotium refert ad divinam voluntatem, de qua sic inquit in Enchiridio, cap. nonagesimo octavo, de eadem difficultate tractans: *Quis tam impie desipiat ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere; sed cum facit, per misericordiam facit; cum autem non facit, per iudicium non facit; quoniam cuius vult miseretur, et quem vult indurat?* Unde infra, capite vigesimo nono, concludit: *Sola gratia redemptos discernit a perditis.* Unde, cum dicit, sola, liberum arbitrium prorsus excludit. Non potest autem excludere voluntatem liberam ab ipso consensu; ergo in ipsamet gratia, præveniente consensum, ponit totam vim discernendi redemptos, id est, quos efficaciter vult redimere, et ideo, c. 103, ita exponit illud: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, id est, omnes qui cum effectu salvi fiunt; quia nullus fit salvus nisi quem ipse velit, et ideo ait: *Rogandus est ut velit, quia si velit, necesse est fieri.*

Denique multis in locis mentionem facit hujus gratiæ efficacis, et ex diversis modis quibus de illa loquitur, et attributis quæ illi tribuit, satis indicat illum efficaciam modum. Ut lib. de Gratia et lib. arb., capite 3, de Paulo loquens, ait: *Quod efficacissime ita vocaretur ut converteretur, gratia Dei erat sola;* ergo in illa efficacia non habuit consortium voluntas Pauli, et hoc ipsum esse videtur quod idem Augustinus dixit in eodem libro, capite decimo sexto: *Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbens vires efficacissimas voluntati*, ubi cum dicit, *præbens vires*, significat plane a solo Deo dari; cum vero illas nominet efficacissimas, non intelligit solum de magna efficacia quoad virtutem seu actum primum, sed etiam quoad actum secundum, quia efficacissime faciunt ut faciamus. Et hanc eandem vocat *occultissimam et efficacissimam potestatem*, libro primo contra duas epistol. Pelagianorum. Et de illa explicat illud ad Philip. 2: *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere.* Et libro secundo, capite 19, dicit *per hanc gratiam voluntatem occulte trahi.* Et in lib. de Correctione et gratia, capite duodecimo, ait per hanc gratiam dari homini ut quod vult *invictissime velit.* Et lib. de Dono persever., capite sexto, eidem gratiæ tribuit, *flectere voluntatem hominis a malo ad bonum, et dirigere in sibi placitum gressum.* Ubi notanda est vox illa *flectendi*, quia determinationem volunta-

tis ad alteram partem significare videtur. Et in lib. de Prædestinatione Sanctorum, capite vigesimo, utitur aliis verbis *inclinandi, parandi, dirigendi et convertendi hominum voluntates.* Et similes loquendi formulæ sunt frequentes in libris Augustini contra Pelagianos, ex quibus colligunt auctores illius sententiæ, Deum per hanc gratiam efficacem, propriam prædestinatorum, ex Augustini mente physice ex parte potentiæ determinare voluntatem per motionem præviam, a solo Deo impressam, qua posita, non est in potestate hominis illi non consentire.

Nos vero dicimus imprimis ex his locis Augustini sufficienter colligi, dari aliquod auxilium præveniens hominis voluntatem, et procedens ex absoluto et efficaci proposito voluntatis Dei, quo apud se statuit hominem salvare, vel convertere ad fidem aut justitiam; quod proinde auxilium ita est efficax, ut infallibiliter consequatur effectum propter quem a Deo præstatur. Hoc satis per se est evidens ex adductis verbis Augustini, et in libro tertio de Auxiliis, et in principio hujus libri idem satis ostendimus contra nonnullos modernos, qui hoc in dubium revocare ausi sunt.

Secundo vero addimus, ex hac sola generali veritate dictos auctores male inferre peculiarem modum ab ipsis excogitatum de efficacia talis motionis. Duobus enim modis potest intelligi quod talis motio voluntatem præmovens infallibiliter habet effectum. Primo, quia illa motio seu entitas, quidquid illa sit, ita est natura sua determinata ad unum in agendo, tam quoad specificationem quam quoad exercitium, ut semel impressa voluntati, eodem modo illam determinet, et quasi secum trahat ad agendum. Secundo, potest talis efficacia intelligi per infallibilem quamdam directionem, excitationem et inclinationem voluntatis ad agendum; quæ infallibilitas non in sola physica vi agendi talis qualitatis fundetur, sed in infinita Dei sapientia et præscientia, cum voluntatis proposito dandi homini auxilium opportunum. Qui ergo ex solo illo generali principio certo in doctrina Augustini, quod Deus habet in thesauris suæ sapientiæ et potentiæ prævenientia auxilia, quibus voluntatem hominis trahat quo vult, inferunt priorem modum efficacitatis de mente Augustini, male colligunt a superiori ad inferius affirmative, seu ab amplo ad non amplum (ut Summulistæ dicunt); oportet ergo ut illationem illam vel ratione probent esse

necessariam, demonstrando alium modum esse impossibilem, vel ex Augustino aliquid afferant quo illam insinuent; et quidem ad introducendum priorem probationis modum, aliqui conati sunt negare Deo præscientiam futurorum contingentium sub conditione; quia revera, illa sublata, est impossibile dari auxilium præveniens habens infallibilem connexionem cum effectu, nisi illam habeat ex vi naturalis modi agendi per physicam determinationem. Verumtamen id assequi non possunt, quia illam præscientiam evidenter tribuit Deo divina Scriptura, et maxime juxta sensum et expositionem Augustini, de cujus doctrina nunc peculiariter tractamus, ut in aliis opusculis de illa materia fuse a nobis ostensum est. De alio vero genere probationis ex doctrina Augustini, nihil peculiare afferunt ad illam consequentiam persuadendum, præter generalia verba citata, quæ revera sufficientia non sunt, ut ex dicendis constabit.

Tertio ergo dicimus, in puncto tam gravi et difficili, magna consideratione dignum esse nunquam Augustinum usum fuisse verbo determinandi aut prædeterminandi, nedum voce physica prædeterminationis, ad explicandam efficacitatem illius gratiæ prævenientis, quæ a nostra libertate infallibiliter obtinet nostrum liberum consensum; ego enim hæcenus apud Augustinum illum loquendi modum non reperi, quamvis diligenter quæsierim; neque ab adversariis profertur locus Augustini, in quo illa forma loquendi usus fuerit. Non est autem Augustino imponendum in re tam ardua et difficili quidpiam quod ipse expresse non dixerit, maxime si periculum alicujus erroris involvat. Et confirmat non parum hanc conjecturam, quod Augustinus in locis quamplurimis in omnem partem se vertit, ut hanc efficaciam explicet, et variis modis et locutionibus supra tactis et infra explicandis eam declaravit, et nihilominus nunquam fuisse usum illis vocibus prædeterminationem significantibus, cum tamen viderentur non solum aptæ et claræ, sed etiam necessariæ ad declarandam illam efficaciam, si talem esse credidisset, qualem nunc isti novi Theologi eam docent. Non me latet Franciscum Toletum, virum alioqui doctissimum, et in Augustini doctrina satis versatum, alicubi tribuisse Augustino quod existimaverit Deum determinare per gratiam arbitrium hominis, quia dat ut velle possit et facit velle. At vero nec ipse refert locum in

quo Augustinus usus fuerit verbo determinandi, neque verisimile est ab ipso Toletio usurpatum fuisse in eo rigore, in quo dicitur physicam prædeterminationem significare, sed solum morali aut vulgari modo, quo dicere solemus eum, qui aliquid ita suadet homini prius dubitanti, ut illi persuadeat unam partem, voluntatem ejus determinasse. Cujus argumentum est, quia ipse Toletus ex propria sententia sentit talem determinationem non esse per se necessariam, licet ex abundantia gratiæ interdum conferatur, quod physica determinatio dici non potest; hæc enim vel tam necessaria est sicut concursus generalis, vel impossibilis cum actuali libertate.

Quarto addimus, verba, quibus Augustinus uti solet ad effectum proximum hujus gratiæ significandum, non esse æquivalentia verbo physice prædeterminandi. Hoc enim nobis respondere solent adversarii, quando ab illis petimus ut hujusmodi verbum, vel rem per illud significatam, apud Augustinum ostendant. Aiunt enim sufficere æquivalentia verba, quod etiam nos in genere fatebimur, si proferantur. Hæc igitur ab eis iterum requirimus. Ut autem constet omnia quæ in argumento referuntur non esse æquivalentia, ac proinde nec sufficientia ut tam difficilis sententia Augustino imponatur, revocemus omnia ad sententiam illam, qua et Augustinus, et Concilium Arausicanum, et alii Patres ejusdem temporis frequenter in hac materia utuntur: *Præparatur voluntas a Domino.* Hoc enim modo facit Deus ex nolentibus volentes, et ex repugnantibus consentientes, quia præparatur voluntas a Domino, dicit Augustinus libro quarto contra duas epistol. Pelagian., capite nono, in fine. Sic etiam, *cum plures audiunt verbum veritatis, alii volunt credere, alii nolunt, quia illis præparatur voluntas a Domino,* ait idem Augustinus, de Prædestinatione Sanctorum, capite sexto. Atque hoc modo efficacitatem hanc prævenientis gratiæ ubique ponit in præparatione voluntatis. Constat autem ex vi et proprietate vocis longe aliud et generalius esse præparari voluntatem quam determinari; præparatur enim voluntas etiam per internam doctrinam, et per aliquam affectionem, aut delectationem sibi inditam, juxta doctrinam ejusdem Augustini, libro secundo de Peccat. merit. et remiss., capite decimo septimo et decimo nono, ubi hanc præparationem congruam vocat certam scientiam, et victricem delectationem; et in